EXCERPTA QUÆDAM

EX LIBRO

CARDINALIS GABRIELIS PALEOTI

ARCHIEPISCOPI BONONIENSIS

De Consultationibus Cardinalium

QUÆ PRÆMITTUNTUR

Editioni ejusdem Operis Brixianis typis adornandæ
juxta exemplar editum a Typographia
Apostolica Vaticana an. 1592.



Nulla remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ ſunt ſalutaria.

Cicero in Epiſt. ad Octav.

EX LIBRO
CARDINALIS GABRIELIS PALEOTI
DE CONSULTATIONIBUS CARDINALIUM

Impreſſo in Typographia Apoſtolica Vaticana
ANNO MLXXXXII.

PARS I. QUÆSTIO VI.

An Cardinales, etiam non requiſiti, teneantur ex natura officii ſui, ubi res poſtulat Papæ conſilia ſubminiſtrare.

QUod a nobis ſupra concluſum fuit, Cardinales duplici jure, tum charitatis, tum juſtitiæ aſtringi ad conſilia ſua proferenda, intelligendum eſt, quando a Papa ſententiam rogantur. At, Papa nihil petente, dubitatio major videtur, an, ſi ipſi nihilominus rem Eccleſiæ indigere putant, debeant ultro ſe inferre, ut publicis neceſſitatibus, conſilio, operaque ſua, quantum in eis eſt, ſubveniant.

Dubium enim id primum facere videtur, quod dici ſolet, neminem ad conſilium niſi vocatum accedere debere &c.

Verum ſi exacte res expendatur, verius fortaſſe illud invenietur, ut etiam non requiſiſti teneantur ea, quæ neceſſaria bono publico judicant, ultro denunciare; ſiquidem non ſunt ipſi ex eo Conſiliariorum numero, quos ſolent ſibi Principes arbitrio ſuo adſciſcere, mutare, & repellere, ſed ſunt potius ejus ordinis Conſiliarii, qui vel innati Principi ipſi dicuntur, vel munus hoc eorum dignitati annexum habent &c.

Quæ cum ita ſe habeant, ſequi videtur, quod ſi, poſtulante neceſſitate, HI PAPAM ADMONERE, ET CONSILIO SUO INGENUE, ET INTREPIDE JUVARE PRÆTERMITTANT, MUNERI

SUO NEQUAQUAM SATISFACIANT, IMMO DAMNATIONIS ÆTERNÆ PÆNA TENEANTUR.

Etsi Princeps expresse non petit, ipsa tamen Respublica, quæ necessitate premitur, & rei evidentia satis interpellat, subsidiumque loco ipsius Principis postulat. Unde Cardinalis ad has pubblicas voces, communisque boni periculum exurgere, seque excitare debet, ut imminens damnum suo consilio, atque industria repellat.

PARS II. QUÆSTIO VI.

Cardinales, qui sibi persuasum haberent, Papam jam in animo statuisse quid velit facere, eumque sententiam minime mutaturum, & ideo se dissentiendo nihil profecturos, an tacendo essent excusandi.

INter multiplices tacendi excusationes, ulla fere frequentius se offerre solet nonnullis hac ipsa, de qua in præsænti agimus: ideo paulo diligentius hoc argumentum non hic tantum tractandum, sed alibi etiam, pro ut occasio feret, aliis, atque aliis rationibus erit repetendum, ut tamquam perniciosa quædam radix Deo adjuvante evellatur, & persuasio hujusmodi non solum inanis, ac contemnenda declaretur, sed etiam PLENA DETRIMENTI, QUÆ OMNEM VIM CONSILII AUFERAT, PRUDENTIÆ NERVOS ELIDAT, ET CONSULTATIONIS UTILITATEM PRORSUS ABSCINDAT &c.

Quod vero spectat ad illud, Papam sententiam jam conceptam mutare minime solere; dicimus facti hanc quæstionem esse, & qui ita ajunt, non videre nos, qua ratione id probare possint. Nos enim per annos fere triginta, quibus Consistorio adesse cæpimus, sedentibus octo Summis Pontificibus: PIO IIII. PIO V. GREGORIO XIII. SIXTO V. URBANO VII. GREGORIO XIIII. INNOCENTIO IX. ac Sanctissi-

ſimo D. N. CLEMENTE VIII. affirmare illud vere poſſumus, numquam factum eſſe, ut Papa deliberationem aliquam ab eo conceptam mutare noluerit, ſi major Cardinalium pars ab eo diſſentiens id verbis expreſſerit, ſed vidimus, quandocumque ille perſtitit in eo, quod ſemel propoſuit, in cauſa id fuiſſe, quod pauci reperti ſint, qui diverſum ab illo ſenſerint, aut certe palam declaraverint, & multo plures, qui in illius ſententiam ierint &c.

PARS II. QUÆSTIO IX.

Si qui ſuſpicarentur, Papam, ipſis diſſentientibus, magis obfirmandum, aut potius irritandum; an ſententiam ſuam debeant comprimere.

AD officium tenetur Conſiliarius, quod in ejus eſt poteſtate: idque eſt fidele conſilium dare: ad finem autem non adſtringitur, qui eſt illum perſuadere, quia ab eo hoc non pendet, ut alias concluſum fuit, præterquamquod Conſiliarii Cardinalis finis eſt quidem prodeſſe Papæ, ſed ad boni publici utilitatem, & Sedis Apoſtolicæ dignitatem. Et ideo quamdiu interpellet hæc ratio communis boni juvandi, non debet ille a munere ſuo ceſſare, neque hunc tamquam præcipuum finem ullo pacto deſerere.

De ipſis Conſiliariis alias diximus non debere eos, quamvis etiam diſcrimina illis imminerent, officium ſuum intervertere, CUM PURPURAM SUSCIPIENTES HOC SE FIDEI, AC JURAMENTI VINCULO OBSTRINXERINT, UT PRO VERITATE, JUSTITIA, PUBLICAQUE UTILITATE TUENDA, NEC SANGUINIS EFFUSIONEM VEREANTUR.

Et ſane eo frequentioribus votis hic ſpiritus fortitudinis a Deo implorandus eſt, quo magis illum in Eccleſia Dei neceſſarium eſſe hodie cognoſcimus.

Cum Papa caput ſit, & adminiſtrator totius Eccleſiæ, cur credamus eventurum, ut ille debeat irritari in earum rerum perniciem, quæ ad illius commodum, dignitatem, ac patrocinium pertinent? Hoc CERTE, QUOD NEC DE BARBARO, AUT SÆVISSIMO HOMINE SUSPICANDUM ESSET, ABSIT UT DE EO, QUI PATER, ET PASTOR EST, CONCIPERE VELIMUS, ubi præſertim naturalis ratio, ac ſui ipſius amoris affectus repugnare vehementer ſolet &c.

Verum quoniam magna hinc deſerendi officii occaſio ſuboriri poſſet, ſæpeque inanes ſunt hæ ſuſpiciones, ac potius humanæ imbecillitatis commenta: ideo cenſeremus nos, niſi perſpicua admodum, & fere indubitata hæc futura ſe pernicies oſtenderet (QUOD VIX UMQUAM EVENIRE POSSE CREDENDUM EST) bonum Conſiliarium a recta muneris ſui ratione, tamquam a regia juſtitiæ via numquam diſcedere debere. Et quamvis quædam ab Ethnicis Auctoribus commemorentur, quorum exempla ad excuſationem facere videntur, dum ajunt: *Vidimus curiam trepidam, & elinguem, in qua dicere quod velles, periculoſum: quod nolles, miſerum eſſet*; nos tamen, qui nihil, niſi culpam, & peccatum horremus, longe aliam vitæ rationem profitemur: & QUIDQUID ACCIDAT, PRÆ HONESTATIS STUDIO, AC JUSTO SUSCEPTI OFFICII MUNERE CONTEMNERE PARATI ESSE DEBEMUS.

PARS II. QUÆST. X.

An Principis ſcientia, & patientia, Cardinales animo diſſentientes, ſed ſilentio & capitis demiſſione ſe aſſentiri oſtendentes, excuſare cenſeantur.

POſſet fortaſſe Thema propoſitum legentibus admirationem movere, quod dubitare videamur accidere poſſe, ut Princeps prudens, & ſciens, patiatur Senatores

ſuos

ſuos coram ſe in throno Majeſtatis Suæ ſedente, aliud intrinſecus ſentire, aliud extrinſecus præſeferre, & tanquam in ſcena delectetur ſibi ab illis Conſiliarii perſonam induentibus, veluti hiſtrionibus illudi, qui nihil minus, quam vera conſilia proferant. Eſt ita ſane, noſque idem confitemur. Sed quoniam progredientibus temporibus, poſſent nonnulli fortaſſe interdum exiſtere, qui ſuſpicarentur in magno Senatorum numero non deeſſe, qui tuta conſcientia ſilentium amplectarentur, eo quod Principem hæc omnia diſſimulaſſe ſibi perſuaderent; idcirco huic cuicumque opinioni obviam eundum eſſe exiſtimavimus, ut ſi credulitatem hanc licet inanem nolint eo etiam tempore deponere, ſaltem intelligant eam Cardinalibus nequaquam ad excuſationem apud æterna tribunalia profuturam eſſe &c.

Ut ait S. Auguſtinus, *nemo mentiens in eo quod mentitur, ſervat fidem; nam hoc utique vult, ut cui mentitur, fidem ſibi habeat, quam tamen ei mentiendo non ſervat; omnis autem fidei violator iniquus eſt*. Hinc ſequitur, Cardinalem, qui Conſiliarii officium cum juramento ſuſcipit, ut ſincere, & fideliter quod ſentit, denunciet, ſi ſecus faciat, tum officium, & conſcientiam violare, tum Deo ipſi, cui ſe juramento obſtrinxit, criminis reum ſe conſtituere; immo neque accedente etiam ulla conſuetudine id ei licere: quoniam CUM A DIVINO PENDEAT PRÆCEPTO, ut nemo alteri mentiatur, non poteſt id per conſuetudinem, quæ a voluntate hominis proficiſcitur, abrogari, dicente Iſidoro: *Uſus auctoritati cedat: pravum uſum lex, & ratio vincat &c.*

Amplius etiam, cum ad id munus conſulendi Cardinalis delectus fuerit, ut non ſolum Principis Conſiliarius foret, ſed præterea ut univerſæ Chriſtianæ Reip. ac Sedis Apoſtolicæ perpetuus adminiſter eſſet: certe quamvis hic Conſiliarius forte argui non poſſet reus injuriæ factæ Principi ſcienti,

ti, & volenti; illam tamen inferret Ecclesiæ Dei, cujus causam desereret; inferret cæteris Consiliariis, quibus tacendo, & annuendo persuaderet, quantum in se esset, ut idem quoque ipsi facerent, & probarent, quod omnino reprobandum esse animo judicarent; inferret denique, quod caput est, Deo ipsi æterno Judici, qui ad Cardinalatus officium illum vocavit, ut veritatem, & fidem in consulendo præstaret, quique adeo odit homines mentientes, ut Propheta dixerit: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium &c.*

Si objiceretur, Consiliarios deligi a Principe, idcirco ejus voluntatem sequi debere: & cum scienti & volenti nulla fiat injuria; propterea cum Princeps sciat, & patiatur, Cardinalem intus in animo dissentire, quamvis contraria foris innuere videatur, ideo nullam hoc casu ab ipso Cardinali injustitiam admitti, & proinde nullam contrahi ab eodem culpam; Respondetur, quod, etsi Consiliarium esse pendeat ab electione Principis, veritas tamen, & fidelitas in officio gerendo est jussa, & præcepta a Deo: & ideo potuit quidem Princeps non eligere talem Consiliarium, sed ubi illum sibi ad hoc munus adscivit, non potest consiliarius adversus divinæ legis præceptum mendacia consiliis miscere &c.

Quod legis obligatio a Principis voluntate oriatur, & consuetudo legi contraria, interveniente Principis consensu, excuset a culpa, & quod denique ipsa Principis voluntas instar legis habeatur, & alia hujusmodi, possunt quidem in legibus humanis valere, non tamen in divinis, de quarum numero est, non mentiri: satis enim superque dictum jam est, obligari Cardinales ad veritatem in consiliis tuendam, TUM JURE PONTIFICIO, TUM DIVINO: contra quod nec consuetudo, nec Principis scientia, aut taciturnitas quidquam operatur.

PARS

PARS III. QUÆST. VI.

Quid, si, tacentibus aliis, vereretur aliquis adversando singularis haberi, an tunc alios sequendo esset excusandus.

CUm nemini liceat umquam fraudare conscientiam suam, quamvis etiam erronea esset, antequam tamen eam erroneam esse dignoscat, ut alias diximus, non potest hic, aut pudoris, aut verecundiæ nomine, sive humilis officii, aut debiti erga majores obsequii, aut amoliendæ a se suspicionis arrogantiæ specie, aut ex quacunque alia adventitia causa, muneris sui normam interiorem deserere, memor divinæ illius sententiæ, qua scriptum est: *Attende tibi &c.*

Consiliarius, qui timet Deum, atque in officii sui obligationem oculos dirigit, SENTIET EO MAGIS TUNC URGERI SE AD DICENDUM, CUM VIDERIT CETEROS ASSENTIRI, nam tunc tempus ipsum declarat, extremam veluti necessitatem imminere aliter consulendi, eo quod bonum publicum tunc in majori periculo versatur.

Si de præmio terreno dando ageretur, nemo sane vereretur singularis haberi, immo appeteret alios anteire, ut palmam obtineret: quanto ergo magis &c.

Sed quando etiam temere alii de eo aliquid vellent judicare, ILLE SIBI INTEGRITATIS SUÆ, AC VERITATIS CONSCIUS FACILE INANES ALIORUM VOCES, AC SI DE EO IN INSULIS, AUT EXTREMIS REGIONIBUS LOQUERENTUR, contemnet, quippe qui agnoscet se Dei causam, cui rationem redditurus est, agere.

PARS V. QUÆST. I.

An Cardinali sit necessaria in Consistorio libertas loquendi; an potius, si aliquando ea non utatur, sit excusandus.

QUoniam tractatio nostra eo maxime spectat, ut intelligant Consiliarii, hoc proprium eorum munus esse, ut

ut ſincere, & libere quod ſentiunt, loquantur; ideo paulo diligentius præſentis Thematis occaſione, de hac libertate loquendi diſſerendum putavimus. Nam cum late hoc nomen pateat, nollemus, quemquam hujus vocis acceptione decipi, ignorataque propria illius vi, in alios, atque alios errores labi &c.

In primis ergo ad libertatis hujus neceſſitatem oſtendendam, illud in memoriam redigimus, quod etiam attigimus alibi, Cardinalium ſcilicet gradum ad bonum Eccleſiæ tuendum, ac promovendum inſtitutum fuiſſe; A QUO QUIDEM FINE ADIPISCENDO, CUM METUS, AMOR, ÆMULATIO, SPES, ATQUE ALIÆ PRIVATÆ CAUSÆ SOLEANT HOMINES RETARDARE, atque ad loquendum quod oportet languidiores reddere, ideo ad vitioſas hujuſmodi affectiones veluti boni publici hoſtes ſuperandas, certum eſt libertatem hanc loquendi, de qua agimus, tamquam neceſſarium Cardinalitii muneris exercendi inſtrumentum omnino requiri &c.

Conſiliarius, quamvis mentis acumine plurimum valeat, ſi tamen hac dicendi libertate deſtituatur, inermis plane erit, neque ex ceteris naturæ, & prudentiæ præſidiis utilitatem ullam reportabit, nec poterit muneris ſibi commiſſi navigium tamquam remis, & vento ſpoliatum in portum perducere, SIVE ID METU, SIVE PUDORE, SIVE AFFECTATA NIMIS REVERENTIA, SIVE PROPRII AMORIS INVOLUCRIS, ſeu quacumque alia ſpecie id accidat; cum libertas dicendi ſit veluti nervi ſpiritus, & vita conſilii. Quid enim prodeſt acute, & prudenter proſpicere quid conſulendum ſit, ſi id eloqui libere non audeas? inutile, languidum, emortuum ſit neceſſe eſt, quidquid libere non enunciatur. Neque hæc libertas ad audaciam, ad immodeſtiam, aut contentionis ſtudium pertinet, ſed potius ad charitatem, ad ingenuitatem, ad bene de aliis merendi propenſam voluntatem: nam QUI LIBERE

DICIT,

DICIT, NIHIL AD SUUM COMMODUM REFERT, SED PUBLICÆ UTILITATI SERVIT. Quare & liberum, & modeſtum eſſe licet, imo modeſtia cum libertate conjuncta proprium eſt, & magnum Conſiliarii ornamentum &c.

Extra Conſiſtorium, ſi quando Cardinales ſponte ad dandum Papæ conſilium ſe accingant, non negamus quando id non juſtitiæ, ſed charitatis potius vinculo fecerint, multa ab iis circumſpici debere, & impedimenta, quæ ſupra objecta fuerunt, diligenter ab iis expendi poſſe, ut quamvis quod dicturi ſunt, numquam a fide, & veritate ſejunctum eſſe debeat, quod tamen ad rationem, ſeu modum explicandæ ſententiæ ſuæ pertinet, non credimus eos ad ſummam illam libertatem retinendam cogendos eſſe, ſed pro ut eis opportunum viſum fuerit, bono eos ſpiritu ducente, ſermonis ſui vim, ac curſum prudenter moderari poſſe, & debere, ITA TAMEN, UT CUM REIPUBLICÆ NECESSITAS URGET, NEC PUBLICE, NEC PRIVATIM OFFICIO SUO DESINT.

PARS V. QUÆST. IV.

Cardinales rogati ſententias, ſi ad beneplacitum Papæ ſe referant, aut ſententiam ſuam Papæ judicio ſubmittant, an muneri ſuo ſatisfaciant.

IN hac reſponſione, ſi bene expendatur, plura ſæpe vitia concurrunt: deficit enim juſtitia, quia Conſiliarius in negotio Reipublicæ utili, aut noxio, non præſtat verbis quod debet: deeſt ſæpe veritas, quia ex animo non loquitur: læditur obedientia, quia non paretur Principi, aperte conſilium petenti: claudicat prudentia, qua rectæ agendi rationem non ſervat: charitas non colitur, quia proximus in neceſſitate conſilii poſitus non juvatur; & conſcientia forte contemnitur, quæ illi aliquid longe melius, ac ſalu-

brius

brius respondendum dictat. Et amplius etiam Principes ipsi hac responsione potius offenduntur, qui petentes ab aliis consilia, cupiunt intelligere illorum sententiam, cum satis suam norint. Unde qui referunt se ad eorum beneplacitum, parum illis solent satisfacere; quod nos a SIXTO QUINTO sanctæ mem. tum in Consistorio, tum privatim in cubiculo audivimus, dum responsiones hujusmodi a Senatoribus, præsertim illis, qui præter cæteros, prudentia excellere videbantur, prolatas non leviter improbabat.

PARS V. QUÆST. V.

Quid de iis sentiendum sit, qui se majori parti Collegii submittunt.

VErum est, POST EXAMINATUM A TOTO COLLEGIO NEGOTIUM, AC VERITATEM, QUANTUM OPORTUIT, PERQUISITAM, MINOREM PARTEM A MAJORE TRAHI, & quod a pluribus post collatas omnium rationes fuerit conclusum, pauciores sequi debere: attamen in ipsa veritatis, & causæ indagatione, tenetur quisque quod sibi conscientia sua dictat, libere profiteri, ut sæpius supra dictum fuit.

PARS V. QUÆST. VII.

Si Pontifex, non exquisitis prius Cardinalium sententiis, aliquid sponte statuat: aut si exquirat, & dum hi respondent, ille aliquid interloquatur, vel eis contradicat: sive si silentium indicat rebus, quæ ab ipsis non probantur; quæ sint partes Cardinalium.

QUod in prima hujus Quæstionis Parte proponitur, supervacaneum fortasse aliquibus videri poterit; nam cum in ea quæratur, quæ partes sint Cardinalium, quando Papa iis inconsultis aliquid in Consistorio decernit, existimabit fortasse quispiam hoc nimis novum, & TAMQUAM

QUAM A PRISCO SUMMORUM PONTIFICUM INSTITUTO PRORSUS ALIENUM, NEUTIQUAM ACCIDERE POSSE. Alias enim initio hujus nostræ disputationis, cum de necessitate capiendi consilii ageremus, eamque tum privatis, tum publicis personis communem esse ostenderemus, hoc ipsum præcipue Summo Pontifici, qui Senatum habet singulari sapientia, & auctoritate præditum congruere, IDQUE EX JURIS DIVINI AUCTORITATE QUODAMMODO PROFICISCI, probavimus. Unde dubitandum nihil videtur, Sedem Apostolicam, quæ aliis omnibus bene administrandi exemplum præferre debet, numquam permissurum, ut res graves aliter quam antecedente matura Cardinalium Consultatione, decernantur &c.

Est ita sane: & si rationem ducem sequamur, perpetuum hoc, & constantissimnm Sedi Apostolicæ erit futurum, numquam MEDIOCRES ETIAM CAUSAS AGGREDI, aut quidpiam, quod non prorsus leve sit, conari, nisi prius aditu patefacto, atque expurgata a Senatu suo semita, qua iter sit dirigendum &c.

Nos in præsenti difficultate veriorem illam opinionem esse existimamus, quæ silentium in hoc etiam casu damnat, quandoquidem Cardinales non solum sunt Consiliarii Papæ, sed simul etiam sunt publici boni suffragatores, & defensores. Ex quo sequitur, ut, quoties vident detrimentum aliquod publicæ rei posse irrogari, non egeant alia interpellatione, sed debeant statim jure suo illam tueri &c.

Cum eorum munus ad publicam causam juvandam, atque tuendam fuerit institutum, ubicumque eam in periculum, & discrimen vocari vident, non est, quod externam aliam vocem ulterius expectent: nam est Respublica ipsa, quæ interpellat, cujus causam nemo a se alienam existimare debet, cum universos attingat, & eos præcipue, quibus ex injuncto munere publici boni cura, & defensio est nominatim commissa, sicut in publici criminis reum cujusvis est actio.

PARS

PARS V. QUÆST. IX.

An debeant Cardinales ſubſcribere Bullas Summorum Pontificum, quamvis in Conſiſtorio ab iis diſſenſerint, & ſubſcriptionis quoque tempore eas vere, & ex animo non probent.

MAgnopere commendandi videntur, qui POST REM DIU, MULTUMQUE IN CONSISTORIO EXAMINATAM, ATQUE POST ID, QUOD IPSI SENTIRENT, LIBERE EXPLICATUM, ARGUMENTISQUE CORROBORATUM, cum tamen viderint, Summum Pontificem, qui in ſpecula poſitus multo plus aliis & proſpicere, & ſapere cenſendus eſt, diverſum ab iis ſentire, ipſi ejus judicio cedendum, atque eximiæ prudentiæ magis, quam erroneæ conſcientiæ adhærendum putant.

PARS V. QUÆST. X.

Qui ex juſto impedimento fuit abſens, cum negotium tractaretur in Conſiſtorio, an teneatur ſubſcribere Bullam, cui major pars Cardinalium conſenſit.

SIXTI V. Decreto cavetur, ut negotio a majori parte Cardinalium in Conſiſtorio approbato, ceteri licet a Conſiſtorio, & ab Urbe abſentes fuerint, quando res geſta eſt, ſubſcribere tamen teneantur, dummodo præſentes ſint in Urbe, tempore, quo Bulla ſubſcribenda erit.

Nec obſtat quod in contrarium obiiciebatur, abſentes ſcilicet non eſſe in ſubſcriptione admittendos, ſicuti nec ad jus ſuffragii admittuntur; nam reſpondetur, diſparem valde eorum eſſe rationem, cum abſens ideo non ferat ſuffragium in Conſiſtorio, quoniam ibi res tractantur examinandæ, & excutiendæ, auditis omnium rationibus, & collatis ſimul, ac perpenſis ſingulorum ſententiis, & fundamentis, ſicut alias quadam ſimilitudine de Divino officio

a

a Canonicis in Choro recitando diximus: ſed abſens, ſi ferat ſuffragium, illud feret, ut ſegregatus ab aliis, & modo quodam ſecreto. Idcircoque abſenti merito interdicitur jus ſuffragandi in Conſiſtorio, quia cum ſit abſens, non dat conſilium tamquam membrum Conſiſtorii. At vero ſubſcribens, quia approbat id, quod ab aliis in Conſiſtorio fuit conſultatum, & receptum, atque hæret majori parti Cardinalium tamquam pars illius Collegii, agitque & operatur, eo tempore magis induens voluntatem communem, quam propriam ſequens, quod ante faciebat: propterea licet alias fuerit abſens, ſi tamen ſubſcriptionis tempore eſt præſens, poteſt, & debet ſubſcribere.

Quod ſi major pars ab eo, quod in Bulla proponitur, diſſentire inveniatur, nec propria ipſius Cardinalis poſſit ſententia obtinere, tunc in ſuperiori quæſtione jam diximus id, quod Papa ſtatuit, & decernit, Cardinalis ſubſcriptione in ſignum miniſterii, & ſubmiſſionis roborandum eſſe: non enim præſumimus ſubſcriptionem illius rei peti, quæ evidenter, ac intrinſecus ſit mala. Cui addimus, quod cum fugiendus ſit perplexitatis ſtatus, ideo Cardinalis deponere debet conſcientiam in ſubſcribendo ut ſubditus, quam non potuit deponere in conſulendo, pro ut Conſiliarius.



APPEN-

APPENDIX

EX TRACTATU

HIERONYMI PLATI SOCIET. JESU

De Cardinalis Dignitate, & Officio

EDITO ROMÆ AN. MDCCXLVI.

CAP. XXVIII.

Concludimus, quamquam ille effectus, de quo agitur, non consequatur, alias tamen utilitates esse certas.

Primum, quia Pontifex ipse in similibus rebus consideratior fiet, cum videat non deesse, qui audeant pro bono communi, esseque id magnum frænum summæ potestatis, cui facillime obrepit licentia.

Deinde alii etiam Cardinales ejusmodi exemplis animosiores fortioresque fiunt, ut sæpe in pugna, qui fugiebant, unius audacia, ac robore revocantur, viresque, & animum sumunt.

Denique si nihil aliud, Cardinalis quidem, qui hoc facit, officium suum facit: quod si deinde alii impediunt, ipse certe culpa vacat, qui sane est fructus conscientiæ vel maximus.

Huc etiam pertinet illa Speculatoris parabola, de qua est apud Ezechielem, qui si gladium videns venientem, non insonuerit buccina, quidquid damni sequutum fuerit, de ejus manu requiritur. Sin autem ipse cecinerit buccina, sed quispiam negligentia sua, quia se non custodivit, perierit, sanguis ejus super ejus caput, Speculator autem innoxius manet. Sic enim omnino dicere possumus, Cardinales omnes quosdam esse Speculatores domui Israel datos, idest Sanctæ Ecclesiæ, in cujus arce positi sunt, ut provideant, atque etiam denuncient quibus oportet, atque in primis ipsi Pontifici, tum bona, quæ prodesse, tum mala, quæ obesse possent communi saluti.

Quare si id impigre, ac strenue, nulloque cujusquam respectu fecerint, etiam si ab aliis non audiantur, saltem ipsi animam suam liberant. Sin vero tacuerint, aut dissimularint, non abibunt impune, quia in eo ipso delinquunt, quod maxime ab ipsis exigitur.

